

ad gloriam, tum presentem, tum eternam. Unde Septuaginta, *principium*, vel potius *principatus* (utrumque enim est *ἔξισ*) gloria respondebit et, q. d. Timor Dei et disciplina initio dura, molesta, humilia et abjecta videntur; at ne terrearis, o fidelis timens Deum, quia tandem pro fructu, mercede et premio afferent tibi gloriae principatum. Hinc et tales ad gubernacula, ad dignitates et prelaturas, tam seculares quam Ecclesiasticas, seligi et promoveri videmus. Addunt Complutenses: «Præcedit autem humiles gloria.» Quæ verba, ut notant Romani, videntur esse altera interpretatio prædictæ sententiæ; unde ipsi cum Procopio ea delent. Porro Auctor *Catenæ Græcorum* sic Septuaginta vertit. *Timor Domini parit disciplinam et sapientiam; utraque autem principium est gloriae quam humilitas antegreditur*, q. d. Nulla res mentem hominis, quæ libera est et sui juris, posset legibus discipline quasi vinculis constringere, nisi timor Dei. Hic ergo parit disciplinam, et per eam sapientiam ac gloriam, quam proinde humilitas disciplinæ antegreditur. Hinc et Arabicus Septuaginta de more secutus, vertit, *principium nobilitatis est responsio ejus, et gloria deambulat, vel decurrit ante humiles.*

Pro humilitas hebraice est *ענוה* *anaa*, id est humilitas, mitis, modestia; item humiliatio, oppressio, afflictio. Unde primo, Symmachus et Theodotus vertunt, *ante gloriam modestia, aut mansuetudo*; et Cajetanus, *in facie honoris* (vel coram honore et gloria) *mansuetudo*, q. d. «Per mansuetudinem homines elevantur ad statum honorabilem. Amantur enim mansueti, et idonei censentur ad gubernandum, tanquam alieni a passionibus animi. Aut coram honore, id est coram viro honoris floret mansuetudo, quoniam talis delectatur in mansuetudine tam sua quam aliorum.» Hucusque Cajetanus.

Secundo, alii vertunt, *timor Domini castigatio sapientia, et ante gloriam afflictio*; quod S. Petrus, *epist. 1, cap. 1, vers. 11, παλινα* reddit, id est afflictiones, passiones, cum ait: «Prænuuntians eas quæ in Christo sunt passiones et posteriores glorias.» Vide ibi dicta.

Tertio, Vatablus vertit, *ante gloriam est dejectio*, q. d. Deus, antequam quem glorificet, prius eum deicit, sternit et humiliat; quod Nosler optime vertit, *gloriam præcedit humilitas*, juxta sensum initio assignatum. Nimirum eterna lege sancitum est, ut per humilitatis viam tendatur et ascendatur ad gloriam. Hec est via, et non est alia. Hec est quod ait Christus: «Omnis qui se humiliat, exaltabitur.» Et de Christo ait Paulus: «Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et inferorum,» *Phil. n. 9.* Vice versa, de superbia ait Salomon, *cap. seq. vers. 18*: «Contributionem præcedit superbia.»

Quarto, ex eo quod ad verbum Hebræa habent, *coram gloria humilitas*, Septuaginta Complutensis contrarie vertunt, *præcedit autem humiles gloria*; quod secutus Syrus vertit, *laus humilis gradatur ante eam*; Chaldaeus, *qui gloriosus est, sit humilis*. Utrumque ergo verum est, et quod gloriam præcedat humilitas; et vice versa, quod humilitatem præcedat gloria; nimirum humilitas præcedit gloriam, quasi gloriæ meritum; vicissim gloria præcedit humilitatem, quasi humilitatis spes corona et premium; sicut ergo meritum in ratione meriti præcedit premium in genere causa meritorie, sic pariter humilitas præcedit gloriam; et sicut premium in ratione præmii præcedit meritum in genere causæ finalis (unde laboranti et certanti ante laborem et certamen proponi solet premium), sic pariter gloria præcedit humilitatem. Hæc ergo duo sunt connecta, et unum ex altero sequitur: nimirum ex eo quod humilitas præcedat gloriam in ratione meriti, necessario sequitur quod gloria præcedat humilitatem in ratione præmii. Sic Christus, ait Apostolus, *Hebr. xii, 2*, «proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.» Unde S. Gregorius Nazianzenus, *orat. 3*: «Gloriam præcedit humilitas, hoc est, ait, sicut calamitas insolentiam, ita splendor et gloria humilitatem comitantur. Dominus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: atque contraria contrariis vicissim inducit, qui omnia iuste admittitur.»

Hoc faciunt axiomata et paradoxa S. Augustini de humilitate. *Primum*: «Deus, cum omnium sit excellentissimus, non elatione, sed humilitate contingitur:» ita ipse, homilia ultima inter 50; *secundum*: «Excelsus est Dominus, et humilia respicit, et excelsa a longe cognoscit. *Psal. cxxxvii.* Excelsa posuit pro superbis; illa ergo respicit ut attollat, ista cognoscit ut deprimat et deiciat,» *ibid.*; *tertium*: «Sic serpens nos non posse redire (ad Deum) nisi per humilitatem, qui per superbiam lapsi sumus. Dux nobis ipse fuit ad superbiam, modo ad humilitatem ducem Christum sequamur,» *ibid. hom. 12*; *quartum*: «Humilitatis passibus ad oculi culmina descenditur, quia Deus excelsus non superbia, sed humilitate attingitur, discamus humilitatem, per quam Deo propinquare poterimus:» *ita ipse serm. 213 De Temp.*; *quintum*: «Per superbiam mirabilis Angelorum creatura cecidit de celo: per humilitatem Dei fragilitas humane nature ascendit in caelum,» *ibidem*; *sextum*: «Quantum cor humilitate inclinatur ad ima, tantum proficit in excelsis: qui enim humilis erit, exaltabitur in gloria,» *ibidem*; *septimum*: «Quanto quis humilior erit de seipso, tanto major erit in conspectu Dei. Superbus vero quanto gloriosior apparet inter homines, tanto dejectior erit ante Deum: qui enim sine humilitate bona opera agit, in ventum pulverem portat,» *ibidem*; *octavum*: «Descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltatus

humiliter: qui enim sibi vilis videtur esse, ante Deum pulcher est: qui sibi displicent, Deo placent: esto igitur parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei,» *ibidem*; *nonum*: «In summo honore summa tibi sit humilitas. Honoris laus est, humilitatis virtus,» *ibidem*; *decimum*: «Superbia ex Angelis demones fecit, humilitas homines similes Angelis constituit.» Ita Auctor *serm. ad Fratres in eremo*, apud S. Augustinum, *tom. X, serm. 12.*

Hæc quoque spectant gnoma S. Cyrilli et S. Ambrosii, quas citat hic Dionysius Carthusianus. *Cyrilli*: «Crede mihi, quia maxime se vilificat qui magnum se reputat. Sicut qui se judicat sapientem, fit amens. Lux quidem luce confunditur, et altitudo altitudine incurvatur. Ubi ergo profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas, et ubi ex te ipso dejectio magna, ibi ex virtute dignificatio maxima: dumque mundanis cardinibus nos iudicamus indignos, sempiternis atque caelestibus mansionibus reddit humilitas mox nos dignos.» S. Ambrosius: «Quisquis cupit divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur; quicumque vult

fratrem suum prævenire regnando in caelis, prius illum præveniat obsequendo in terris, sicut ait Apostolus: Honore invicem prævenientes vincat cum officiis, ut possit vincere sanctitate.»

Gradus ergo ad gloriam est humilitas et humiliatio. Vice versa, gradus ad ruinam est superbia ac superba sui exaltatio. Quocirca sapienter S. Bernardus *serm. 34 in Cantica*: «Oportet, ait, humiliter sentire de se nitentem ad aliora, ne, dum supra se attollitur, cadat a se.» Et paulo post: «Nisi humilitatis merito maxima minime oblinetur.» Et S. Augustinus in *Sent.* num. 88: «Non acceditur, ait, ad altitudinem Dei, nisi per humilitatem, cui propinquat subditus, longe ab eo recedit elatus.» Porro, ut idem ibidem ait, num. 83: «Vera fidelium humilitas est, in nullo superbiere, in nullo murmurare; nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei iudicis Deo agere, Deumque laudare, cuius omnia opera, aut justa sunt, aut benigna.» Salomonem more suo secutus *Ecl. xi, 1*: «Sapientia, ait, humiliati exaltabit caput illius, et in medio magnatorum consedere illum faciet.» Vide ibi dicta.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Homo animam preparat, Deus linguam gubernat, et spiritus ponderat, ac vias hominum dirigit, omnia propter se ipsam operans, cui abominatio est omnis arrogans: misericordia redimuntur peccata: pondus et statera Dei iudicia: indignatio et clementia regis: laus sapientia, prudentia, eruditio, ac dulcis in verbo, et patientia: vituperatur insipiens et perversus: sortes a Domino temperantur.

1. Hominis est animam præparare, et Domini gubernare linguam. 2. Omnes viæ hominis patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus. 3. Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ. 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum. 5. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiam si manus ad manum fuerit, non est innocens. Initium viæ bonæ, facere justitiam; accepta est autem apud Deum magis quam immolare hostias. 6. Misericordia et veritate redimuntur iniquitas, et in timore Domini declinatur a malo. 7. Cum pluerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. 8. Melius est parum cum justitia, quam multus fructus cum iniquitate. 9. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus. 10. Divinatio in labiis regis, in iudicio non errabit eo ejus. 11. Pondus et statera iudicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sacculi. 12. Abominabiles regi qui agunt impie: quoniam justitia firmatur solium. 13. Voluntas regum labia justa: qui recta loquitur, diligitur. 14. Indignatio regis, nuntii mortis: et vir sapiens placabit eam. 15. In hilaritate vultus regis, vita: et clementia ejus quasi imber serotinus. 16. Posside sapientiam, quia auro melior est: et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. 17. Semita iustorum declinat mala: custos anime suæ servat viam suam. 18. Contributionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus. 19. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis. 20. Eruditus in verbo reperiet bona: et qui sperat in Domino, beatus est. 21. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: et qui dulcis eloquio,

majora percipiet. 22. Fons vitæ eruditio possidentis : doctrina stultorum, fatuitas. 23. Cor sapientis erudit os ejus, et labiis ejus addet gratiam. 24. Favus mellis, composita verba : dulcedo animæ, sanitas ossium. 25. Est via quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem. 26. Anima laborantis laborat sibi, quia compellit eum os suum. 27. Vir impius fodit malum, et in labiis ejus ignis ardescit. 28. Homo perversus suscitatur lites, et verbosus separat principes. 29. Vir iniquus lætat amicum suum, et ducit eum per viam non bonam. 30. Qui altionis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum. 31. Corona dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur. 32. Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. 33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.

1. Hominis est animam preparare, et Domini gubernare linguam. — Hebraice, homini dispositiones vel ordinationes cordis, a Domino responsio linguæ. Hic versus deest in Septuaginta Complutensium et Roman.; nonnulli tamen alii codices eum sic efferunt : « Homini applicationes cordis, et a Domino responsio linguæ. » Unde et Syrus de more septuaginta sic vertit, *ab homine est consilium cordis, a Domino sermo linguæ.* Sic et Chaldaeus.

Jam ex Hebræo sic recte exponit Aben-Ezra, *q. d.* Homo in animo suo recte cogitationes ordinat et disponit, sicut rex disponit et ordinat in acie milites; sic enim mente ordinat homo ea que dicitur est, sibi que dicit: hoc dicam primo loco, hoc secundo, hoc tertio, etc. (hoc enim significat Hebræum אָרָח *arach*, cui per metathesin opponitur אָחָר *achar*, id est turbare, confundere); et Dei est ordinare et disponere sermones, ut quod mente concepti et ordinasti, hoc ordinate, apposite et efficaciter ore proloquaris. Sicut ergo ducis est ordinare milites in acie, sed Dei est dare eis pugnantibus animos, robur et victoriam: sic pariter hominis est ordinare ea que dicitur est, sed Dei est dictionem dirigere, ut id quod intendit, persuadeat audienti. Et R. Levi: « Licet, ait, ad verum spectet res et verba mente disponere, indiget nihilominus divino auxilio, ut verba sua rite pronuntiare possit; quot enim sunt verba que licet seite mente concepta et ordinata essent, in pronuntiatione tamen confusa sunt et perturbata. » Huc facit illud S. Augustini, lib. *II De Doctrina Christ.*: « Sententiam animi verbis assequi merito delectat oratorem; et cum propria verba fugiunt dicentem, et aliena occurrunt, sic cruciatur, quasi legato sapienti et erudito malus eveniat interpres. » Et Vatablus: Sensus, ait, est, *q. d.* id quod vulgo dicitur: « Homo proponit, Deus disponit. » Istud in Balaam factum videmus, cuius maledictionem Deus vertit in benedictionem. Cum enim ipse animo destinasset maledicere Israeli, Deus ejus linguam illa flexit, ut eidem benediceret, *Num. XXIII.*

Minus plene Cajetanus hanc sententiam ex Hebræo ardet ad responsa, *q. d. C.* ut quis interrogatur, permedietur quid respondeat; sed tamen permediationi suæ non confidat, seseque Deo

commendet, quia Dei est linguam dirigere, ut eo modo respondeat, quo meli interrogatio satisfaciat. Verum hæc ardet est interpretatio; nam Hebræi respondere vocant loqui, etiamsi nulla processerit interrogatio. Unde Noëter generatim vertit, « Homini est gubernare linguam »

Pelagianus hoc loco abutebantur ad suam hæresim, ut probarent initium salutis esse a libero arbitrio; hoc enim bene operando et orando prævenire et preparare se ad gratiam Dei excipiendam. Hominis ergo esse preparare cor, id est inchoare bonum, sed Dei esse illud complere et perficere. Quem sensum redarguit divus Augustinus, lib. *II Contra duas Epistolas Pelagii*, VIII, ex illo Christi, *Joannis xv, 5*: « Sine me nihil potestis facere; » et ex illo Pauli, *II Corinth.* III, 5: « Non quod sufficientes simus cogitare aliqua vobis quasi ex vobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. » Igitur S. Augustinus per responsonem lingue accipiens responsum lingue divine, non humana, sic explicat, *q. d.* Hominis, non solius, sed Dei gratia adjuti, est preparare cor suum ad excipiendam Dei loquelam, ut audiat quid in se loquatur Dominus; sed Dei solius est huic hominis preparationi respondere, eique sermones suos satusque divinos inserere. Sed audi S. Augustinum: « Ideo quippe scriptum est: Hominis est preparare cor, et a Domino responsio linguæ, quia homo preparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor. Homo preparat cor, in responsione autem linguæ, id est, in eo quod preparato cordi lingua divina respondet, nihil operis habet homo, sed totum est a Domino Deo. Nam sicut dictum est: Hominis est preparare cor, et a Domino responsio linguæ; ita etiam dictum est: Aperi os, et implebitur illud, *Psalm.* LXXX. Quamvis enim nisi adjuvante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen os aperimus illius adjuvamento ex opere nostro. Nam quid est preparare cor et os aperire, nisi voluntatem parare? Et tamen in eisdem litteris legitur: Preparatur voluntas a Domino. » Unde aurea hæc sententia concludit: « Quapropter multa facit Deus in homine bona que non facit homo; nulla vero facit homo que non facit Deus et faciat homo »

Verum hæc expositio potius mystica videtur quam litteralis. Nam ad litteram intelligitur hic lingua hominis, non Dei. Unde Noster pro a Domino est responsio linguæ, clare vertit, *Domini est gubernare linguam*, utique non suam, sed hominis. Quocirca sensus planus et simplex est, ait Iansenius, ut Salomon significare velit hominem quidem apud se posse cogitare, et frequenter disponere quid sit locuturus et responsurus; at citra Dei auxilium, quod disposuit, non bene elocuturum, nec quod concepit ad effectum perducere posse non quod cor se disponere et parare possit ad loquendum sine gratia Dei, sed quod etiam id quod cum Dei gratia loqui disposuit, eloque bene non valeat, sine nova et singulari Dei gratia, que linguam moderat et gubernat, ut intelligamus doctam utilemque orationem non tribuentem soli meditationi præcedenti, nec sufficere ad bene salubriterque loquendum, ut quis apud se diligenter cogitet quid loquendum sit, sed post omnem nostram industriam pendendum nobis ab adjutorio Dei, qui non tantum memorie suggerere debet quod præcogitatum est, sed etiam dicens linguam moderari, ut bene, utiliter et cum gratia auditorum dicantur, que concepta sunt. Simile est in scripture, idem enim est, sive ore, sive manu et calamo loquaris. Unde Psaltes: « Lingua mea, ait, calamus scribæ velociter scribentis, » *Psalm.* XLV, 2 (1).

Ubi nota contra Pelagianos de fide esse cordis preparationem ad bonum pertinens ad salutem esse a gratia Dei. Sed Sapiens hic generatim loquitur, etiam de cogitatione et locutione rerum indifferentium, que ad salutem non pertinent, ac loquitur juxta hominum morem et experientiam. Videmus enim difficilium esse sensa animi apte exprimere, quam eadem cogitare et concipere. Non ergo excludit gratiam præventivam et excitantem ad cogitationes salutiferas, sed majorem cum minore comparat, *q. d.* In rebus salutiferis homo, ex-fatus communi Dei gratia, potest corde concipere bona; at majori gratia eget, ut eadem apposite eloquatur, præsertim quia inter loquendum surrepit superbia, ira, invidia, item defectus memoria, pudor, metus, alique plura impedimenta recte loquendi; que omnia non nisi per Dei gratiam amovere et superare possumus. Quare tantum significat magis in nostra potestate esse cogitationem et voluntatem, sive propositum, quam executionem operis, *q. d.* Non sufficit in naturalibus cum concursu Dei generali, in supernaturalibus etiam cum gratie Dei præmeditari quod dicitur es, nisi Deus postea in ipsa locutione speciali gratia dirigat linguam; ita D. Thomas, *I II, Quest.* CXII, art. 2, in corp. Quod

(1) Maurer, homini, hominis sunt consilia animi, hominis apud animum statueret hoc vel illud; sed a Jova est responsio, ex auditio lingue, sed qui cogitata, optata bonorum juvat eventa, Deus est. Paragere proposita non possumus nisi juvante Deo.

hic dicit Salomon de verbis, idem vers. 9 et cop. xx, 24, assertit de factis et operibus: facile enim est cum communi gratia Dei ea mente destinare, sed nova et specialis opus est, ut que destinasti, opere exsequaris. Inter operandum enim multa occurrunt difficultates, que sine singulari Dei ope vinci nequeunt.

Atque hæc est prima ratio a priori, cur hominis sit disponere cor, Dei autem gubernare linguam, et utrumque, scilicet tam disponere quam gubernare, magis sit opus Dei quam hominis; secunda est, quod in elocutione multe occurrunt circumstantiæ a loquente improvisæ. Cum ergo eas non præviderit homo, ut illis lingua ejus adtemperetur, necesse est ut gubernetur a Deo. Adde multas esse secretas conditiones in audiente, æque ac loquente, soli Deo cognitias, quibus ut sermo loquens congrue aptetur, necesse est ut dirigatur a Deo. Tertia et præcipua est, quod hominis quidem sit exterius loqui et formare verba; sed Dei solius est eis interiori dare vim et vigorem ad persuadendum id quod sonant, audienti; alioqui loquens est tantum res sonans et cymbalum tingens, ut ait Apostolus, *I Cor.* XIV. Sicut enim agricola serit semen, sed Deus solus sementi internam indit vim germinandi, sequæ multiplicandi; sic prorsus fit in verbo, quod velut semen serit loquens, sed Deus ei indit spiritum et efficaciam ad convertendum audientem. Deus enim inspirat menti audientis id quod proponit loquens, eamque suæ gratiæ luce et impulsu illuminat et inflammat, ut ipsdum intelligat, amet et prosequatur. Hoc est quod ait Apostolus: « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit, » *I Cor.* III, 6; et Christus: « Omnis qui audit a Patre, et didicit, venit ad me, » *Joan.* VI, 43; et vers. 44: « Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. » Idem passim contra Pelagianos docet S. Augustinus, præsertim lib. *De Corrupt. et Gratia.*

Hæc gnome ubique locum habet, sed maxime in professione fidei et Martyribus tempore persecutionis, de quibus proprie cum explicat Bedæ, ut idem hic dicit Salomon quod Christus *Matth.* X, 19: « Cum autem tradant vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: non enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vobis estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Ita Esther pro salute Judæorum, jam per Aman damnatorum ad mortem, intercessura apud Assuerum maritum suum, orat Deum: « Tribue, ait, sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, et transfer cor illius in odium hostis nostri, » *Esther* XIV, 13. Multæ enim causæ concurrere debent, ut loquens persuadent audienti quod intendit, ac præsertim cor audientis debet mulceri et flecti, ut illis, que audiri afficiatur, ac contrarias affectiones exuat; hoc autem solus potest facere Deus. Quocirca concionatori, confessori, et cuiusvis animas salvare sal-

genti orandus est Deus ut linguam suam ita dirigat, ut feriat mentem audientis, eique persuadat quod dicitur. Oret ergo cum Psalle: « Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. » Ita S. Augustinus apud Possidonium In Vita ejus narrat se in concione quadam prorsus alia dixisse quam prius mente conceperat, ac postea advenisse id factum a Deo ad convertendum quemdam Maicheum, qui concionis intererat. Causam dat S. Jacobus, cap. iii, vers. 8: « Linguam autem nullus hominum domare potest. » Ubi nulla in hanc rem dixi. Ergo necesse est ut eam frenet et domat Deus. Unde S. Chrysostomus, homil. 30 in *Matth.*: « Regius, ait, equus est lingua: si ei frenum injicias doctria tua, gradarius efflorescit; ascendit in eum rex, et quiescit in eo. » Sicut ergo Bucephalum nemo regere poterat, nisi Alexander Magnus; nec ille ullum alium patiebatur sessorem, nisi Alexandrum: sic pariter linguam nemo regere potest, nisi Deus: nec illa alium sessorem patitur, nisi Deum. Quare Hugo de S. Victore libro 1 *De Anima*: « Lingua, ait, labilis est, et teneri non potest, sed labitur, et fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta. »

Denique ex hac gnome: « Domini est gubernare linguam, » solerter et caute colligit Franciscus Suarez, tom. 1 *De Gratia*, proleg. III, cap. v, num. 7, gratias gratis datas, quas recenset S. Paulus, 1 *Corinth.* xii, inter quas prima est sermo sapientiae, non dari per habitus, sed per actum Spiritus Sancti motionem, quia ipse directe excitet mentem, facitque ut illi verba apta occurrant, modique loquendi congrui, atque aucti impedimenta que mentem distrahere aut perturbare possunt. Id maxime verum est in concionatore, ut dixi, confessorio et similibus, qui animas convertunt. Ibi ergo crebro orant ut Deus gubernet eorum linguam ad aliorum salutem, scilicet ut faciat eos ita apposite loqui, ut audientes feriant et convertant.

2. OMNES VIZ HOMINIS PATENT OCVLLIS EJUS; SPIRITUM PONDERATOR EST DOMINUS. — Pro patent hebraice est *קל* *zakh*, id est mundus fuit, purus ab omni labe et vitio, sincerus, clarus, irreprehensibilis. Unde *תורת משה* *coelestis* vocatur vitrum et crystallus, propter munditiam et transparentiam. Pro ponderator hebraice est *תוכן* *tochen*, quod tria significat: primo, dirigens, disponens; secundo, mensurans; tertio, ponderans. Proprie *tochen* est pensans, pensus perpendens, certo metiens, numerans, judicans spiritus, an sua mensura et regula, puta legi divinae, rationi et prescripto virtutis adqueant, et ad amissum repondeant. Nostit veritatem, ponderans, id est appendens et examinans an verum virtutis habeant pondus. Unde Chaldaeus vertit, *omnes via viri munda in oculis ejus, et Deus dirigit vias ejus*; Syrus, *omnes vii hominis pura sunt in oculis suis*; Septuaginta, *et via opera hominis manifesta sunt quod cum; inquit dicitur in die mala peribunt*. Nostit Romani in

uno codice Septuaginta sub asterisco haec haberi: « Homini applicationes cordis, et a Domino responsa lingue. Quanto major es, humilia te ipsum, et coram Domino invenies gratiam. Omnia opera humilis manifesta apud Deum; et firmans ipsos spiritus Domini. Devolve super Dominum opera tua, et firmabuntur cogitationes tuae. Omnia opera operatus est Dominus propter seipsum, impii autem in die mala peribunt (1). »

Jam primo, Cajetanus Hebraeum *zakh*, quia masculinum et singularis numeri, sic vertit, *omnes via viri mundi in oculis ejus*, hoc est, ait, omnes actiones externae viri justi et sinceri patent oculis ejus, cum ipse eas examinat et judicat; at vero spiritus et internos instinctus, quibus ad has actiones impulsus fuit, non pervidit: hosce enim solus Deus ponderat, id est appendit, penetrat et mensurat. Verum omnes *zakh* vertunt, *munditia*, vel *patentes et clarae*. Apud Hebraeos enim crebra est enallage et permutatio generum et personarum. Rursum *zakh* accipi potest ut abstractum, quod d. Omnes via hominis in oculis ejus videntur mundities, id est omnino munda. Huc accedunt Septuaginta, qui haec ait, inquit, manifeste apud Deum. » Quocirca Joster Salazar versionem Vulgatam accommodans ad Septuaginta, haec de solo humili accipit, siquae explicat, quod d. Omnia opera humilis in conspectu ejus sunt vitrea, id est clara et perspicua; quare minimos etiam nevos et defectus suos in iis notat, juxta illud Isidori Pelusiotae, lib. II, *epist.* 24: « Hypocrita vitrum ponit loco veri margaritae, et quasi pretiosa ostentat. » Humilis vero margaritae aemulat vitrum, » id est, sua heretica opera parvi vel nihili facit, eaque aemulat fragilla instar vitri. At « spiritum ponderator est Dominus; spirituum, id est superborum qui altos gestiunt spiritus; sic enim spiritus saepe superbiam et fastum significat. Jam *zakh* ponderat tripliciter explicat: primo, quod d. « Deus ponderat, » id est ponderando librat, complanat et adequat superbiorum spiritus, dum eos dejicit, ceterisque hominibus abjectis et demissis quasi perpendiculari adequat; secundo, « ponderat, » id est ponderibus deaeruat, quod d. Deus fastum sublimium imposito aliquo onere tribulationis deponit et deprimit; tertio, proprie « ponderat, » id est in statae justitiam judicii sui appendit, et superbiorum levitatem, humilium vero pondus et momentum probe cognoscit. Huc Salazar. Auctor vero *Caten. Graecor.*: « Per hoc, ait, quod humilium opera Dea assurgentur manifesta, insinuat Deum nolle superbiorum opera aspiciere, multo vero minus approbare. Vel ma-

(1) Omnes via alioquin pura sunt in oculis ejus, sunt homini actiones recte omnes videntur, quicquid alioquin agit, rectum ipsi videtur; sed ponderat spiritus, examinans animos Josa, ideoque hic solus novit, sit rectum an non quod quisque agit.

nifesta dicuntur, quia sunt velut lux quaedam. »

Verum *zakh* humilis non est in Hebraeo, Chaldaeo, Syro et Latino; multo minus *zakh* superbiorum, quod ne quidem habent ipsi Septuaginta. Quare generatim hanc sententiam, ut sonat, accipiendo de homine quolibet, notandum est cum dicitur: « Omnes via hominis patent oculis ejus, » pronomen ejus posse vel ad Deum, qui vers. 1, praecessit, vel ad hominem referri. Ad Deum referunt Beda, Tyrannus, Aben-Ezra, Hugo et Dionysius, huncque tant sensum: « Vias, id est actiones, omnium, honorum videlicet et malorum, Dominus videt, ut etiam spiritus singulorum, quid in occulto cogitent, certa lance discernat, » ait Beda, quod d. Deo omnes actiones hominis sunt vitreae et crystallinae, id est clare et perspicue instar vitri et crystalli, quia Deus earum radicem et fundum, scilicet cor, mentem et spiritum cuiusque intimo pervidit. Itaque appendit et ponderat, an scilicet aequum justumque bonitatis habeat pondus, an vero diminutum, manum et iniquum. Unde infert Bossius, lib. V *De Consol.* prosa 6, sub finem: « Aversamini igitur vitia, colite virtutem; magna vobis indicta est necessitas probitatis, cum ante oculos agitis iudicis aeneta cernentis. »

Secundo, simpliciter Syrus, Chaldaeus, Vatablus, Pagninus, R. Levi, Jansenius et alii pronomen ejus referunt ad hominem, qui immediate praecessit, quod d. Homini patent suae actiones externae, ipseque nepe ex philantia et amore proprio eas probat, censetque esse puras et sanctas; at non raro errat, quia spiritum internum ex quo manant, non pervidit: hujus enim ponderator, id est liberator, examinatur, introspector est Deus.

Ubi nota per spiritum hic primo, accipi mentis cogitationem et voluntatem, quam Deus solus ponderat, an sit bona an mala, quod d. Homo videt actionem externam, eamque probat quasi in se bonam et honestam. At Deus videt voluntatem internam quae saepe vitiosa est, ideoque maculat et vidit totam actionem externam: quare esto illa homini pura videatur, a Deo tamen impura judicatur. Hunc sensum clarius exprimit Salomon *cap. xxi*, 2, dicens: « Omnis via viri sibi recta videtur; appendit autem corda Dominus, » quod d. Nolite vobis blandiri, quod opera vestra vobis placeant, probaque et justa esse videantur, quia Deus ea ad divini sui iudicii trutinam vocabit, in qua subtilissimi spiritus, et abditissime cogitationes expenduntur; unde in ea saepe ut malum reprobatur et damnatur, quod ab homine ut bonum probabatur et laudabatur.

Secundo, spiritus significat intentionem et fundum cordis, quod d. Homo cernit actiones suas, at intentionem et fundum cordis sui non pervidit; sed eum pervidit, imo ponderat et librat Deus; ideoque saepe condemnat actionem, quae hominibus recta et justa videtur. Opus enim bonum factum mala intentione malum est, et non

bonum; veri gratia, cum quis dat elemosinam pauperi, ut eum pertrahat ad luxuriam vel haerem. Opus vero ex se indifferens, id est, nec bonum, nec malum, bonum fit, si fiat bono fine bonaque intentione. Opus autem in se primum non quirit fieri bonum, etsi ex optima manet intentione. Ecce harum intentionum omnium ponderator est Dominus. Nemo ergo sui sit censor, nemo de suo judicio superbiat, sed de divino contentescat. Huc pertinet explicatio nostri Vilalpando, P. II *De Templ.* lib. III, cap. ix, qua talis est: « Omnes viae hominis patent oculis ejus, spiritum ponderator est Dominus, » quod d. Opera sua via, quae cuique recta videtur ac plaua; sed ejus asperitas et exitus homini sibi ipsi plurimum fidenti, et caeco, occulta sunt et invisae; Deo autem patent. Ipse enim spiritus judicat, et discernit quod quisque in qualibet suarum deueat actione.

Tertio, per spiritum accipias affectum, amorem, intentionem, fervorem, zelum, vim, efficaciam, quod d. Homo videt opus externum, illudque magni aestimat, censetque esse valde piun et sanctum; at Deus ponderat spiritum, id est quantifatem affectus, intentionis, amoris et zeli, ex quo opus promanet, juxta illud: « Deus considerat nos quantum, sed ex quanto. » Opus enim magnum factum parvo spiritu, affectu et amore, coram Deo justo virtutum aestimator parvi est ponderis et meriti; opus vero parvum factum ex magno spiritu et amore, magni apud Deum est ponderis et pretii. Unde S. Thomas, I part., *Quaest.* XXX, art. 4, ad 3, ait temerarium esse definire uter sanctorum fuerit S. Petrus, an S. Joannes: nam « spiritum ponderator est Dominus. »

Quarto, per spiritum accipias quantitate gratiae et charitatis, quae pondus dat operi. Item enim opus bonum factum ab homine qui magnam habet gratiam et charitatem, ideoque eminenter est sanctus, Deique amicus, longe majoris est ponderis, pretii et meriti apud Deum, quam idem opus aequae intense factum ab alio, qui parvum habet gratiae et charitatis habitum, ideoque parum est Deo gratus et amicus, ut docet Franciscus Suarez, tract. *De Gratia*, part. III, lib. XII, cap. xxii, num. 2, et alii passim. Hanc autem gratiae et charitatis quantifatem solus Deus ponderat et mensurat. Unde dicebat S. Franciscus: « Tantus quisque est, quantus est apud Deum, et non amplius. » Dei ergo est ponderare opera, an gravia sint an levia, ex spiritu gravi vel levi qui illa producit. Rursum Deus, ait Lyranus, spiritus appendit, ad retribuendum merita et demerita. Unde hebraeum *tochen* Figurata vertit, disponens: « Dominus, ait, disponit spiritus, » hoc est, ait Vatablus, operatur in nobis quae bona sunt; R. Levi vertit, dirigens, quod d. Deus dirigit, inquit, actiones justorum ut a curvis rectae fiant; aut, si rectae sunt, rectae perdurent, ac ipsi continue rectae virtutis et salutis itinere insistant, ita quae ad gra-

Primo, spiritus ut cogitatio.

nia aeterna perveniant; impiorum vero opera prava dirigit ad merita gehennae supplicia.

Alludit ad Job. cap. xxviii, 25: « Qui fecit ventis pondus, et aquas appendit in mensura, » ubi pro *appendit* hebraice est *titichen*; unde *tochen*, quod Noster hic vertit, « ponderator. » Sicut enim Deus ventis, licet levissimis, dat suum pondus, hoc est mensuram, puta a se dimensam et definitam quantitatem, vim et efficaciam; atque aquas, v. g. mare, appendit in mensura, ut, licet intumescat, tamen limites a Deo statutos, sibi commensos, non excedat: sic pariter Deus dat spiritibus jam dictis justum suum pondus et mensuram, atque iuxta illam singulos conquat et mensurat.

Porro pondus iustitiae et animae est amor, juxta illud S. Augustini: « Pondus meum, amor meus; eo feror, quocumque feror. » Quantum ergo est amor in anima, quanta charitas, tantum eius pondus; charitas enim dat pondus, id est dignitatem, valorem et pretium operi et operanti. Tò ergo ponderator dupliciter capi potest: primo, q. d. Ponderis dator; secundo, q. d. Ponderis mensurator. Deus enim omnium actionum tam malarum quam bonarum pondus mensurat; bonarum vero etiam pondus dat, quod scilicet ipse ab aeterno per suam praedestinationem acquavit et commensus est tum bono, salutis et gloriae ipsius operantis; tum bono publico, puta statui et officio quod operanti commisit, ad bonum Ecclesiae, vel republicae. Homo igitur est corporum ponderator, sed Deus spirituum, adeoque Angelorum, Cherubinorum et Seraphinorum omnium.

Hic sensus apte coheret versui precedenti et sequenti, q. d. Sicut Deus in loquendo est gubernator linguae, sic in operando est ponderator spirituum et intentionum, atque in volendo est cogitationum director, ut sequitur. Ipse ergo est auriga cordis, oris et operis. Unde vers. seq. pro *diriguntur* hebraice est *ויראו תוכו*, quod alludit ad *tochen*. Vere ergo Beda in *Prov.*: « Sicut, ait, fistula absque inspiratione nullum reddit sonum, sic cor hominis absque inspiratione divina nullum recipit bonum. » Hinc S. Michael, quasi vicarius Dei, pingitur libripens, id est in libra appendens animas morientium, earumque merita et demerita aestimans et ponderans. Sic Deus ponderavit spiritum et opera Balthazar regis Babyloniorum, cum in pariete scripsit: « Mane, tekell quae vox alludit ad *tochen*, quod hic est in Hebraeo, phares; tekell, appensus es in statera, et inventus es minus habens. » *Daniel*. cap. v, 27, ubi plura de hac Dei statera et ponderatione dixi.

Antistrophe Salomoni est illa S. Pauli nomine *Hebr.* iv, 12: « Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilis omni gladio accipit, et pertingens aequae ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. » Vide quae ibidem annotavi. Sic videt ubique Salomonem an-

tistrophe respondere Christo et Apostolis. Hic nimirum est consensus legis et Evangelii, haec harmonia novi et veteris Testamenti.

Moraliter, hic discite quanti faciendum sit spiritus, puta mens et intentio, in qualibet actione nostra. Intentio enim bona operi etiam indifferenti dat bonitatem; ac quo illa est melior, eo melius maiorisque meriti est opus. Bona est intentio, si fugias peccatum, et facias bonum ad cavendum poenas gehennae. Melior, si id facias spe mercedis caelestis, Optima, si id facias amore virtutis, v. g. ex obedientia, ut Deum colas; et maxime ex charitate, ut Deo magis placeas, illique rem gratam praestes. Charitas enim nobilissima est virtutum, earumque princeps et regina; quare actus quos ipsa elicit vel per intentionem imperat, facit divinos et nobilissimos, sive ad Deum operi et operanti. Quocirca Apostolus, *I Cor.* x, 31: « Sive, ait, manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. » Quod explicans S. Basilus in *Regul. brevior.* Reg. 196: « Is nimirum, ait, manducat et bibit ad gloriam Dei, quando divinarum benedictionum erga se memoriam conservat, et eiusmodi animi affectionem retinet, quae ex compositione etiam corporis declaratur, ut non tanquam securus omnino manducet, sed ut qui inspectorem habeat Deum, et quando in sumendo cibo illud sibi propositum habet, ut non tanquam ventris mancipium propter voluptatem manducet, sed tanquam operarius Dei, ut in operibus iis, quae sunt ex mandato Christi, exsequendis firmior esse possit. » Et B. Laurentius Justinianus, *lib. De Discipl.* cap. x: « Omnes Christi servi, ait, Deo placere cupientes, primordia diei et actionum conentur consecrare Altissimo, quatenus caetera secutura opera, a suo non declinent principio; quapropter mox ut somno evigilant, semper cor stum erigere contentant; prima vox, prima cogitatio, primus affectus divinam resonet laudem, ignitam ad Deum dirigat supplicationem, et illi se sincero corde permittat, qui valet poterat de imminenti periculis liberare. » S. Dorotheus, *Doctor.* 13: « Si timore gehennae, ait, beneficiamus, in servili statu sumus: si ut mercedem recipiamus, in mercenarii; si honoris ipsius gratia sciamus, ad filiorum statum transivimus. »

Memorable est quod Joannillus gallice scribit in Vita S. Ludovici regis Galliae, Ivoquem ex proclara S. Domitici familia, cum ab hoc Ludovico ad magnam Damasci Sultanum legatus esset, mulieri cuidam aetatis admodum provecta fuisse obvium, quae una manu lebetem ardentibus carbonibus, altera amphoram aqua pleenam gestabat. Hoc spectaculo attonitus, eam rogat quem in finem duo haec secum deferret? Ista hunc in modum respondit: « Paradisum igne hoc exurere, et

aqua hac inferni flammam extinguere animo meo sedet. » Inopinatio hoc responso amplius quam prius stupefactus, denuo eam rogat cur id aggrederentur? Illa: « Ne in posterum, ait, quispian virtuti et bonorum operum praxi se dedat spe mercedis, et ne a milo se temperet gehennae timore, verum pure ob honorem Dei, et quem ei debemus singulariter amorem. » Ubi hoc intellexit, totus admirandus haesit, tanto ingens mulieris huius pietas et perfectio, magnusque erga Dei honorem zelus, animum ejus stupore conesserat.

S. P. Ignatius, cupidus excitandi suae professionis alumnos ad hanc perfectionem, loquitur in hunc modum: « Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa vite suae statum, verum etiam circa res omnes particulares, id semper in eis sincere spectantes, ut serviant et placeant divinae bonitati propter seipsam, et propter charitatem, et eximia beneficia, quibus praevent nos, potius quam ob timorem poenarum, vel spem premium (quamvis hinc etiam juvari debeant); et in omnibus quaerant Deum, exuentes se, quantum fieri poterit, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in ipsarum creatorem conferant, eum in omnibus creaturis amando, et omnes in eo, juxta sanctissimam ac divinam ipsius voluntatem. »

Quatuor illa animalia, quae Ezechielii prophetae cap. i ostensa fuere, extensas suas pennas, et capita sursum erecta habebant, Deo hac visione significante, virtute praeditos oportere intentiones suas in sublime extollere, eas nimirum ob Dei honorem exsequendo. Evidenter rex David pure se Dei honorem investigare pro se tulit, cum dicebat: « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, » *Psal.* cxii. Hoc est quod vulgo dicitur:

Quidquid agant homines, intentio iudicat omnes:

quia, ut ait S. Ambrosius, *lib. II Offic.*: « Affectus tuus operi tuo nomen imponit. » Nam uti rami et fructus succum ex ima radice trahunt, ita bonae actiones praecipuum bonitatem et meritum a bona intentione hauriunt. S. Gregorius, *lib. XXVIII Moral.* cap. xii, tanti eam aestimat, ut totius spiritualis aedificii basim eam appellet.

3. REVELA DOMINO OPERA TUA, ET DIRIGENTUR COGITATIONES Tuae. — Pro *revela* Noster legit *גל* gal, a radice *גלל* gala, id est revelavit. Jam alio puncto legitur *גל* gal, id estolve, devolve, a radice *גלל* galal, id est volvi. Unde *galgal* vocatur sphaera, rota, caelum, a volubilitate et rotunditate. Igitur sic vertunt Pagninus, Vatablus, Cajetanus et alii, *volve* vel *devolve*, *ut certe ad Dominum opera tua, et dirigantur*, vel *firmantur cogitationes tuae*, idque varie exponunt. *Primo*, Cajetanus refert ad intentionem et finem, q. d. Opera quae facere destinatas, verte et refer in Deum quasi ad ultimum tuum finem; ita fiet, ut ad suum finem et scopum

recta dirigantur cogitationes tuae. Et Vatablus, *persee*, ait, *quidquid agis, in honorem Dei, et non frustraberis cogitationibus tuis*; et R. Levi, *universa*, ait, *quae agis, ad divinam servitutem referto, et cogitata tua recte succedent, Deo operi ferente, ut desideriorum tuorum metam attingas.*

Secundo, Bayanus et Salazar haec refert ad gratiarum actionem, q. d. Omnia quae agis, revolve per gratiarum actionem ad Deum illum auctorem; quidquid boni feceris, id totum in Deum reflecte, illique quasi omnis boni fontis acceptum referto; ita « dirigantur cogitationes tuae, » nimirum rectissime ferentur, nec aberrant. Si enim ex his, quae bene agis, quidquam tibi ipsi arrogas, aberras prorsus; unde Hebraice *gal* verti potest, *instar pileae reciprocae* Deo opera sancta, quae ipse in te concessit. Nam, ut ait S. Chrysostomus, *hom.* 8, tom. V: « Opera nostra bona in Deum referre debemus, quae madidum in sphaera ludo jacti sumus, alter vero refert pilam, tam diuque elegantur ludus producat, quando inter utriusque manus jacta et reciproca sphaera non exiit. » Ergo quidquid beneficii Deo quasi jacente, acceperis, ne exiit ad (ait Salomon), sed id continuo in illius manus revoca, ut inde valuti repercutusum iterum ad te redeat, idque non tantum in prosperis, sed etiam adversis, q. d. Quidquid boni feceris, aut mali toleraveris, id quidem Deo acceptum refer, et per gratiarum actionem revoca. Tunc autem peritor eris, cum adversa et infausta ab illo in te jacta, ne dicam excussa prouapte atque expedite remiseris. Subdit: « Et dirigantur cogitationes tuae, » hebraice *ordiantur*, aut *stabilientur*, q. d. Hoc humilli iudicio praefecto, « cogitationes, » id est consilia tua et rationes, minime nutabunt. Polehre S. Chrysostomus, *hom. 3 De Lazaro*, docet quomodo omnia tam adversa, quam prospera, in Deum per gratiarum actionem reflectere debeamus.

Tertio, plenus et aptius ad Vulgatam versionem haec refert, tam ad spem et invocationem, quam ad laudem et gratiarum actionem. Explicat enim id quod dixit vers. praeced. « Spirituum ponderator est Dominus; » et vers. 1: « Hominis est animam preparare, » nimirum revelando et exponendo Deo sua negotia, ac postulando ut ipse ea dirigat, confirmet et prosperet. Sensus ergo est, q. d. Devolve in Deum opera tua, id est illi ea revela, annuntia, offer, commenda, illique ea plane committe, certo confidens quod ipse ea optime diriget firmabitque ad suam gloriam, tuamque et aliorum salutem. Volvimus enim, ait Jansenius, ad Dominum nostra opera, cum Domino acceptum ferimus, si quid a nobis recte facti, et cum ad honorem ejus omnia nostra opera referimus, et cum ea quae nobis incumbunt faciendi, illi commendamus et committimus, orantes ut ipse ea dirigat, atque ad salutarem effectum perducat.

Tertium horum consulit Sapiens, dum hic di-

«Et: «Volte ad Dominum opera tua. » Illi enim «venit quod sequitur: «Et dirigetur,» vel, ut «ad virtutem, stabilientur,» cogitationes tuæ; » hoc est, Deo prosperante, quæ cogitasti, feliciter procedent et adimplebuntur. Idem ergo hic monet quod Tobias, cap. iv, vers. 20, dicens: «Pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso perveniant. » Et quod David *Psal.* xxxvi, 3: «Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet. » Monetur Ergo Dominus revelare opera nostra, non ut manifestemus ei, quasi ea ignoraret; sed ut in precibus nostris ea illi proponamus, auxilium ejus et favorem implorantes. Unde Beda: « Dominus, ait, opera nostra revelamus, quando eum, quem nihil latere novimus, in cunctis quæ agimus, in memoriam reducimus, atque illius in omnibus flagitamus auxilium. » Sic et Paulus, *Philip.* iv: «Nihil, ait, solliciti sitis; sed in omni oratione et observatione petitiones vestre immittentes apud Deum. »

Igitur sicut infans revelat matri suæ desideria, illaque in ejus sinum et curam devolvit et resignat, ibique recumbit, indormit et quiescit: sic pariter fidelis omnia sua revelat, resignat et committit Deo, in ejusque paternæ providentiæ cura indormiat et conquiescat, juxta illud cap. iii, vers. 6: «In omnibus vis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos,» ubi plura in hanc rem dixi. Ita R. Salomon: *7. 7. got.* ait, id est devolve, projice, q. d. «In Deum devolve omnia quibus opus habes, et quæ cogitas feliciter succedent. Vel etiam: Preces ad Deum funde ob universa quibus indigebis. » Et Abon-Ezra: «Cum, ait, Deus omnia effecerit propter virum labore carentem, votis ejusdem annuit; et quando aliquid postulaverit, liberaliter id concedit. Quod si ei tua consilia aperias, quæ expetieris, benevole prebebit. » Sic Lyranus, Hugo, Dionysius et alii. Te volte significat sollicitudinem esse ingens pondus, quod animam solliciti degravet; ipse ergo illud ab anima sua devolvit in sinum Dei, ita liber erit, et securus de felici rei successu.

Denique S. Chrysostomus, hom. 41 ad *Popul.*, hæc refert ad confessionem, q. d. Revela, id est confitere Deo tua peccata et mala opera, sic ipse te diriget ad eorum veniam suamque gratiam, atque ad humilitatem cæterisque virtutes. «Non tibi dico, ait, ostenda te ipsum, nec apud alios accusa, sed obedi Prophete dicenti: Revela Domino viam tuam, ea coram Deo confitere, coram judice confitere peccata tua deprecans, et, si non lingua, saltem memoria, et ita pete tibi misericordiam exhiberi; si peccata jgitur habes in memoria, nunquam in proximum ire memoriam servabis; non dico: si tibi persuaseris te peccatorem esse. Non ita potest hoc animam humilare, sicut ipsa per se peccata et per species ruminata. Non eris mali memor, hæc semper in memoria gerens; non irasceris, non conviciaberis, non altum sapiens, non rursum in eadem cades, eris ad bona

fortior. Vides quot ex peccatorum memoria cantur bona? »

Simili ratione pulchre noster Alvarez de Paz; lib. IV, part. IV, *De effectibus humilitatis*, cap. v, hæc adaptat manifestationi conscientie, præsertim illi quam Religiosi plerique statim temporibus facili suo Superiori, quasi vicario et interpres Dei: per hanc enim optime a Superiore, impo a Deo diriguntur ad suam aliorumque salutem.

4. UNIVERSA PROPTER SEMETIPSUM OPERATUS EST DOMINUS, IMPUM QUOQUE AD DIEM MALUM. — Propter semetipsum hebraice est לְעַצְמוֹ לְמַאנְהוּ, quod primo verbi potest, propter ipsum, scilicet opus; ait Pagninus: Deus enim nulla re indigebat, aut potius propter ipsum, scilicet hominem, qui precessit, vers. 2 et 1. Unde Chaldaeus vertit, omnia opera sunt Dei pro his qui obediunt illi, et impius servatur in diem malum; sieque clara est antithesis inter obediens et malos sive inobediens, quod Deus omnia opera sua, ac præsertim cælum preparaverit obedientibus sibi; inobediens vero preparavit malum, id est exitum et gehennam.

Secundo, R. Salomon *lemaanehu* vertit, ad suam laudem: נָקָה ana enim significat canere et laudare, juxta illud *Ps.* cxlvi, 7: «Præ-inite (hebraice נָקָה עָנָה, id est canite) Domino in confessione. »

Tertio, idem R. Salomon *lemaanehu* exponit, ad testimonium sui, hoc est, ut de ipso Deo omnia testimonium perhiberet, quod opera divina tententur Dei fortitudinem et majestatem.

Quarto, optime Noster, Pagninus, Vatablus et alii *lemaanehu* vertunt, propter semetipsum (1), quod R. Jona exponit, q. d. Secundum voluntatem et beneplacitum suum. Longe melius alii, q. d. Propter suam gloriam, ut sensus sit: Deus mundum et omnia, quæ in eo sunt, creavit non coacte aliorum serviens utilitati, sed sponte sua ipsius obsequens gloriae propter semetipsum, tanquam propter finem ultimum rerum omnium. Ise enim sicut est prima causa efficiens omnium, sic et omnium est finis et scopus; omnia enim tendunt

(1) Versio propter semetipsum hæc obicit Rosenmüllerus, quod sic debuisse scribi לְעַצְמוֹ, «Sed *lemaanehu*, ait, est nomen *maaneh*, responsum, cum suffixo... Est igitur prius hemistichium sic vertendum, omnia fecit Jova secundum responsum suum, suum in finem. Jam vero ambigitur, suffixum vocis *lemaanehu* sit ne ad Jovam, an vero ad omnia referendum? Si ad Jovam referas, sensus erit hic: Deus facit omnia ut respondeat voluntati suæ, ut sibi obtemperat, prestando id, quod Deus jussit vel instituit, et Chaldaeus. Melius tamen cum altero hemistichio conveniet hoc, si suffixum ad omnia referatur, ut sensus hic sit: Deus universa et singula fecit ita, ut respondeant sibi ipsis, ut singulis antecedentibus sua respondeant consequentia, eo ordine, quem semel rerum sanctarum utiliter deservit. Qua ratione apte coheret quod sequitur, et itam *impium fecit ad vel in diem mali*, q. d. Non intor res bonas tantum istiusmodi observatur concessus, verum et malo culpa permissio respondet malum pene immissum. »

ad Dei laudem, ut Creatoris sui potentiam, misericordiam, justitiam, sapientiam toto orbe promulgent et celebrent. Hinc Deus in omnibus idem est, siveque per omnia similis. «Deus, ait S. Augustinus, nec major est in maximis, nec minor in minimis. »

Ubi nota Deum non ex cupiditate gloriæ operatur esse omnia propter se, sed quia rerum natura et ordo id poscit. Creatura enim ex intima totaque essentia sua refertur, respicitque Creatorem, quasi suum finem summumque bonum. Vicissim Creatoris natura et divinitas tanta est dignitatis et majestatis, ut poscat omnia ad se referri, imo dos una divinitatis propria et essentialis est, quod illa sit ultimus rerum omnium finis. Monet ergo hæc gnome ut omnia nostra opera ad Deum referamus, eaque propter illum operemur, sicut ipse omnia operatus est, ac illa ipsa opera operatur nobiscum propter semetipsum. Cum ergo Deus omnia propter semetipsum operetur, par est ut nos quoque illi cooperantes in eandem cum ipso intentionem conspiremus, atque omnia nostra operemur ad ejus laudem et gloriam, dicamusque illud S. Ignatii fundatoris Societatis Jesu: «Omnia ad majorem Dei gloriam. »

Ad hoc novum stimulum dat versio Chaldaei, quæ sic habet, omnia opera Dei sunt pro his qui obediunt ei; et impius servatur in diem malum, q. d. Deus, etsi ultimate omnia creaverit propter se, proxime tamen et mediate omnia creavit propter justos obediens sibi, eorumque obsequio solem, lunam, ignem, arbores, fructus omniaque creata addidit; ut ipsi vicissim eadem suaque omnia Dei servitio mancipent. Si enim Deus propter hominem omnia facit, ergo par est ut homo vicissim omnia propter Deum faciat. Si officias malos quoque et impios uti rebus a Deo creatis, hasque illis servare, respondeo, modicum et breve esse hoc servitium. Nam impius servatur ad diem malum damnationis et gehennæ, quo cælum, terra, gehenna, omnesque creaturae in ejus supplicium et tormentum conspirabunt, et quasi conjurabunt. Unde S. Bernardus, serm. 3 *De Pentec.*: «Omnia, ait, facit propter semetipsum, gratuita videlicet bonitate; omnia propter electos suos, pro eorum solliciti utilitate, ut illa quieti efficiens causa sit, hæc finis. » Vide S. Thomam, 1 part. *Quest.* XLV, art. 4, ubi docet Deum esse primum causam efficientem, exemplarem, et finalem rerum omnium: quia Deus in earum productione intendit illis communicare suam bonitatem, et ille intendit eandem participare. Finis enim est id quod intenditur ab agente. Verum Deus eas non est operatus propter se ut finem sui ipsius (Deus enim non habet finem sui ipsius, sed ipse omnium est finis), sed ob finem et bonum creaturarum. In Deo enim sapientia, bonitas et operatio sunt unum idemque cum Deo, ac proinde ipse earum finis esse nequit; Deus ergo omnia «operatus est propter se,» hoc est, operatus est omnia ad hoc,

ut suam bonitatem, sapientiam, potentiam, magnificentiam, gloriam, etc., creaturis ostenderet et communicaret, quod est bonum creaturarum, non Dei. Deus enim ex hac sui communicatione nihil acquisivit, cum nihil ei addi possit (unde et gloria qua eum glorificant homines, Angeli et creaturae omnes, nihil ei addit, cum ipse in se habeat gloriam increatam et infinitam); sed creaturae suam essentiam, proprietates, dotes, omnique bonum hauerunt a Deo. Vide S. Thomam et Scholasticus *Quest.* citata, et *Quest.* LXV, art. 2. Hoc est quod ait S. Dionysius: «Divinus Dei amor non reliquit eam sine germine esse. » Et Christus: «Ego sum a et e, principium et finis, » *Apoc.* 1, 8. Quia et Plato in *Timæo*, inquires cur Deus fabricavit mundum, respondet: «Optimus erat: ab optimo porro invisibile longe relegata est. Itaque consequenter sui similia cuncta, propti cuiusque natura capax beatitudinis esse poterat, efficit voluit. »

Hanc sententiam luculenter doctæ, profunda et sapida contemplatione explicat noster Alvarez de Paz, lib. III, Parte III, decad. 9, contemplat. 80, *Quod Deus est ultimus finis*. Eam hic attexam, quia profunde gnomem hanc explicat, ac pauci auctorem hunc habent et legunt. Primum punctum inquit: O Domine Deus sanctissime, tu es ultimus finis omnium rerum, et universa creata nihil querunt, ut finem ultimum, præter te. Nam omnia tua potentia creasti, non propter aliquam indigentiam tuam, sed ut ipsa tua infinitam perfectionem pro suo modalo participarent. Eorum ergo finis est ad te tendere, aliqua ratione tui similitudinem induere, tibi que Creatori appropinquare. Eius quidem creaturae rationis expertis ipsa natura impellente ad te tanquam ad finem tendunt, quatenus suum proprium bonum querant, quod participatio est tuæ bonitatis. Solus miser homo non semel a te peccando separatur, et ad vitam creaturæ convertitur. Sed tu qui non finis utamque, sed quasi magnas cordis nostri es, nos ad te trahes, et viam rectitudinis lutare compelles.

Secundum: Res universe in suo fine quiescunt, et ab illo sequente moveri non cessant, quousque ad illum suo modo perlingunt. Tu, ergo, Domine, quæ nostra es. Tua sola majestas cor nostrum potest implere, tua bonitas ad dulcedo satiare. Hanc capacitatem nostram nec dignitatis, nec divitiæ, nec voluptates, neque universa bona creata replent; sed unum tantum bonum infinitum et increatum, quod tu ipse es, replere potest et feliciter efflere. Tu, Domine, es civitas in quam tendimus; portus in quem navigamus; iectus, in quo quiescimus; lacus, quo sustentamur. Hedera arborum, qua sustentatur, et in altum erigitur, mille ramis quasi brachiis adstringit, quia suam ab illa perfectionem et erectionem accipit. Ergo igitur et omni amore, quo possum, te amplecti volo, quoniam sine te nec ad momentum subsisto.

Tertium : Cum igitur te meum ultimum finem possedere, tunc beatus ero. Repatriasse erit hoc, exisse de exilio corporum in regionem spirituum. Ipsa gratia tu es Deus noster, maximus spiritus, maxima mansio spirituum beatorum. Ubi totum veritas est, sapientia est, virtus, aternitas, summum bonum est. Dum a te absumus, et hic sumus, vallis est lacrymarum in qua sensualitas regnat, et consideratio exultat; in qua libere quidem se exercit sensus coporeus, sed intricatus caligat oculus spiritualis. Enitatur igitur, o Deus; ab hoc exilio egredi saltem desideris et sanctis a Testibus, in te summo bono nostro commorari. Amen.

Ex dictis liquet quod, cum dicitur Deum creasse et operari omnia « propter se, » hoc est propter gloriam suam, gloria accipi debeat non creata, quam Deus accipit a creaturis; sed increata et in finita, quam Deus ab aeterno habuit habetque a seipso et in seipso, qui est ipse Deus, q. d. Deus creavit et operatur omnia hoc fine, ut immensam suae essentiae, honoris, potentiae et sapientiae gloriam creaturis suis patefaceret, eamque illis quoad fas est communicaret, ut illae ejus participes fierent. Ex hac tamen increata gloria naturae et necessario resultat gloria creata, qua Creatorem suum laudant homines, Angeli omnesque creature: haec enim gloria ab illis Deo omni jure debetur. Estque haec gloria vel patens et clara, ut in hominibus et Angelis; vel tacita et muta, ut in creaturis irrationalibus: haec enim muta voce glorificat Deum, sicut opus glorificat sumum officem, v. g. domus suum architectum, pictura suum celebrat pictorem.

Non potuit tamen haec gloria creata proprie esse finis Dei, quem scilicet Deus sibi appellerit, ut propter eam assequendam crearet universum, et operetur omnia. tum quia haec gloria est extra Deum, estque creatum quid et exile; tum quia haec nihil addit gloriae increatae et infinite. quam Deus in se habuit, habetque ab aeterno; tum quia haec gloria, sive glorificatio, potius est bonum extrinsecum, quam Dei. Creaturae enim felicitas est, quod sum agnoscat, amet, colat et glorificet Creatorem, juxta illud : « Feecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te, » ut ait S. Augustinus lib. I *Confessionum*, cap. 1.

IMPIMUM QUOQUE AD DIEM MALUM. — scilicet operatus est Deus, ait Calvinus et Beza : Quia, inquit, ante omnem culpam et peccati provisionem, Deus tamen absolutus omnium dominus impios praedestinavit et creavit ad supplicia, ut in his gloriam suam ostendat; sicut electos ante omnem meritum provisionem praedestinavit ad praemia, ut in his elementaria suam demonstraret. Verum hic est error. Sic enim pariter Deus praedestinare debet media ad haec supplicia, scilicet peccata homini immittere, et facere homines impios (poena enim essentialiter respicit culpam, ejusque est

correlativum : unde nemo punitur nisi culpa reus), quae est horrenda blasphemia : tollit enim liberum arbitrium, ac pro eo inducit fatum peccati, atque in Deum, qui per essentiam est ipsa sanctitas et bonitas, omnem peccati culpam transcribit, ut jam non peccator, sed Deus ipse culpandus et puniendus veniat Calvinus. Quae sunt blasphemiae portentosa oscule omnibus inaudita. Vide quae dixi de obduratione Pharaonis, *Exod. vii, 3.* Dico ergo : Deus ex se nullius supplicium, sed omnium salutem, et consequenter beatitudinem vult, cupit et praecipit, ut patet ex I *Timoth. ii, 4, et Ezech. xxxiii, 11, et ex continuis omnium aliorum Prophetarum adhortationibus et comminationibus.*

Quare pro responsione et intelligentia hujus loci et similium nota Hebraeos soepe, ac praesertim in carmine et versu, concise loqui, et multa subintelligere, quae lectori supplicia relinquunt. Igitur cum ait Salomon : « Impium quoque (supple *viturum*, vel ut Chaldaeus et alii verunt, *qui servatur et ordinatur*) ad diem malum, » repele ex praecedenti hemistichio, « propter semetipsum operatus est Dominus. » Hanc enim repetitionem exigit conjunctio quoque, q. d. Omnes res creatae, adeoque ipsi mali et impii, qui non videbantur facti propter Deum, nec gloriae ejus subesse et servire, illi tamen revera subsunt et servant. Nam Deus qui produxit omnia ad gloriam suam, etiam eos quos praevit fore impios, si a se crearentur, sibi quoque et gloriae suae relicturos, creavit tamen et permisit male agere, ad reddita eis pro culpis admissis poena quam merentur, in eis justitiae suae gloriam patefaciat. Unde Vatablus sic vertit et explicat, *et etiam impius decedit in diem afflictionis, id est perditionis, ut scilicet cognoscatur ira Dei.* Hoc est quod ait Paulus *Roman. ix, 22* : « Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum, ut ostenderet ut vitus gloriae suae in vasa misericordiae, quae preparavit in gloriam. » Tantum autem abest, ut recte colligit Bellarminus, lib. II *De Anims. gratiae*, cap. xii, ut Salomon dixerit quod vult Calvinus Deum, ante peccati provisionem decrevisse aliquos damnare, ut potius contrarium significasse videatur, cum ait Deum omnia operari « propter semetipsum, » id est, ut gloriam misericordiae justitiae suae demonstraret. Hanc damnationem decernere ante provisionem peccati, justitiae est : sine provisione enim peccatorum damnationem decernere, injustitiae esse videtur. Sic enim loquitur S. Augustinus, lib. III in *Julian.* cap. xviii : « Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquis sine bonis meritis liberare, quia bonus est, non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est. » Et in epist. 106 ad *Paulinum* : « Quemquam immeritum et nulli peccato obnoxium, si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur. » Non potuit igitur Deus ante provisionem

peccati decernere damnationem alicujus, ut justitiam suam ea damnatione monstraret. Justitia enim juxta vindicte et poenae praerogit et praesupponit reatum culpae.

5. ABOMINATIO DOMINI EST OMNIS ARROGANS : ETIAM IN MANU AD MANUM FUERIT, NON EST INNOCENS. — Pro arrogans hebraice *לֵב גְבוּלָה* *lev gaba leh*, id est, *status corde* : Septuaginta significanter, *sublimis corde*, id est, *sublimis corde*. Secundam partem ita explicant Septuaginta, *manu autem manus inferens injuste, non erit innocens*; et Syrus, *qui extendit, manum suam in proximum suum, non prohibetur a malo*; Chaldaeus, *a malo non mundabitur*; Scholias, *et manus manus miscens, etc.*

Sensus est, q. d. Deus abominatur omnia peccata et peccatores, sed maxime arrogantiam et arrogantes: quare etiam ipsi multos habeant socios, quibus se teneant, et per quos junctim manus violentas in alios injiciant, ut peccata peccatis assidue atteant, non tamen erunt innocentes, id est impuniti; sed cito ira Dei in eos deserviet, eorumque fastum sternet. Causa est quod arrogans sit amulus et antagonista Dei, ut velut alter Lucifer velit se Deo aequare, et cum eo de honore et primatu contendere; illum ergo ut sui honoris emulum Deus insectatur, siderat et sternit, uti alibi ostendi. Unde S. Gregorius, part. III *Pastor.* admon. 23, hanc noemen applicans vanis et superbis praedicatoribus : Audiant, ait, quod scriptum est : Abominatio Domini est omnis arrogans, quia videlicet dum in verbo Dei gloriam propriam querit, jus dantis invadit, eumque laudi suae postponere nequaquam metuit, a quo hoc ipsum quod laudatur, accipit. »

Aliter Pagninus qui vertit, *mox non erit impunitus*; et Vatablus, *mox non habitabit pro insonte*, id est statim punietur, quasi *in manu ad manum* idem sit quod *cito, illico*. Aliter et Cajetanus, q. d. Eliaus arrogans manu manum fricat, tergat, et ablut, nulla tamen aqua, nulla lustratione abterget eum arrogantiae scelus; nec erit innocens, id est impunis, sed acriter a Deo punietur. Aliter et R. Levi : « Manus ad manum, » id est assiduis malis implebitur; et R. Salomon : Poena, inquit, illi per manus infligetur. Aben-Ezra vero vertit, *manus Domini propter manum impii, q. d. Manus Domini hunc exterminat, eo quod fraudulenta manu utatur.* Vide quoque de hac paremia dixi cap. xi, 21.

INITIUM VIAE BONAE, FACERE JUSTITIAM : ACCEPTA EST AUTEM APUD DEUM MAGIS QUAM IMMOLARE VICTIMAS. — Hic versus non est in Hebraeo et Chaldaeo; translatio est ex Septuaginta, qui sic habent, *initium viae bonae, facere justum; accepta autem sunt apud Deum magis quam immolare hostiam.* Noster Salazar per *justitiam* accipit misericordiam, quasi dicat, Inter reliquas bene vivendi partes principem locum obtinet misericordia erga pauperes et egenos, atque hanc Deo ipsi gratiorem accidere quam hostias et victimas ingenues, habes *Osee* cap. vi, 6 :

« Misericordiam volo, et non sacrificium. » Audi S. Chrysostomum, hom. in *Matth. 3* : « Vis, ait, corpus Christi honorare? non despicias ipsum nudum; neque hic quidem in Ecclesia serenis parvis induas, foris autem frigore ac nuditate confici negligas. Qui enim dixit : Hoc est corpus meum, et rem simul cum verbo confecti, idem dixit : Esurientem me vidistis, et non cibastis; et in quantum non fecistis uni eorum miseriorum, nec mihi fecistis. Hoc certe corpus Christi non amicti, sed anima munda indiget; illud autem multa cura et magna diligentia eget. Utique ad hoc non est opus vasis, sed animis aureis : hoc dico, non quia vitare velim talium vasorum obligationem; sed quia dignum putem ante omnia misericordiae et benivolentiae, esse incumbendum. » Ex quibus constat Deum, tantum pauperibus deferre, vel potius sibi ipsi in illis, ut, quod attinet ad externa, honestas, liberalitas et decentis secum in his agi velit, quam in Eucharistiae sacramento. Et quidem haec una ratio antiquae Ecclesiae proceres permovet, ut in magnis pauperum angustiis sacros calices comminuerint, et pretia eorum misericordibus impanderint. Adde autem Salomon impericordia et elemosynam non solum Deo gratiora esse quam sacrificia et victimas, sed etiam homini utiliora; nam si hostiae ad mundanda et eluenda peccata potissimum instituta sunt, « misericordia » quidem « et veritate redimitur iniquitas, » etc.

Hic sensus appositus est, sed arctior. Quare alii passim justificationem generalem accipiunt, prout seorsum extendit ad quamlibet virtutem, q. d. Initium ad viam bonam, id est ad virtutem et vitam honestam, est facere justitiam, id est exercere opera virtutum, q. d. Via ad virtutem est, non speculationi, sed actio et exercitium virtutis : sic enim « humilitatio est via ad humilitatem, » ait S. Bernardus, « sicut lectio ad scientiam, passio ad patientiam. » Dicit autem *initium*, quia potissima difficultas virtutis est in ejus initio, ut quis eam inchoet, q. d. Inchoa opera virtutis, incipe operari honesta et sancta, ac experieris virtutem non adeo esse arduam, uti eminus tibi, instigante diabolo et mundo, apparebat; imo reipsa disces illam, ejusque apicem continuo sui exercitio facilem esse adeptum. Ille verum est illud Horatii :

Diuitium facti, qui bene cepit, habet.

Et illud Ausonii, *epigr. 83* :

Incipe, diuitium facti est corpore; supersilium diuitium, rursus hoc incipe, et efflicis.

Et alius :

Incipe quidquid agas, pro toto est prima operis pars.

Hinc prudentes, cum quid ardui occurrit, illico illud aggrediuntur, et clausis quasi oculis mentis, ne ejus difficultate aspecta terreatur, manu operi admovent, itaque primam difficultatis ap-

prehensionem, quae vehementissima est, superant; quae superata reliqua deinde facile evincunt, sensimque rem omnem conficiunt: perinde ac aegri pillulas alioque medicinas amaras clausis oculis hauriunt, illi quoque transglutiant, itaque sanitate sensim recuperant. Rursum, pro *initium* graece est *apri*, quod tum principium, tum prescriptum principatum et summam significat, q. d. Prescriptum et summa via bonae, id est virtutis vitaeque honestae, consistit non in speculando, sed in faciendo iustitiam, id est opera iusta et sancta. Quare idem docet hic Salomon quod Christus *Matth. XII, 47*: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, » inquit auctor *Catenae Graec.*; imo idem quod dixit Salomon cap. *I, 7*: « Timor Domini principium sapientiae. » Timet enim Dominum, qui Dei mandata servat. « Accepta est autem apud Deum, » tum ipsa iustitia, tum ipsa via, id est vita bona quam efficit iustitia, « magis quam immolare victimas, » juxta illud: « Misericordiam volo et non sacrificium, » *Osae VI, 6*. Quod enim de misericordia dixit Deus, idem de charitate, iustitia, patientia, aliave virtute dixerit: Charitatem, iustitiam, patientiam, etc., volo et non sacrificium, eo sensu quo explicui *Osae VI*. Actus enim internus charitatis, iustitiae, patientiae, etc., magis placet Deo quam externum sacrificium, sive victima hominum et ovium, cum ille animatus sit et rationalis, haec bruti et irrationalis. Unde dignitas externi sacrificii nascitur et mensuratur dignitate interni actus religionis et devotionis, ex qua manat et offertur: quantus enim est actus hic internus, tantus est et externus; quantumque ille, tantum hic placet Deo. Loquor de sacrificiis in genere, qualia erant vetera, quae omnem vim et dignitatem accipiebant ex opere interno, puta ex devotione operantis. Secus est de sacrificio Eucharistiae, quod vim habet ex opere operato, sive ex se ipso.

6. MISERICORDIA ET VERITATE REDIMITUR INIQUI : **ET IN TIMORE DOMINI DECLINATUR A MALO.** — Pro *redimitur* hebr. יכפר *icaphar*, id est expiatur, propitiatur; Chaldaeus, *benignitate et veritate expiatur peccatum, et timor Dei avertit a malo.* *Hic* versus repetitur: positus enim fuit quoque cap. *praeced. vers. 27*, ubi enim Noster transcripsit ex Septuaginta, hic vero ex Hebraeo, ibidem eum explicui: quare hic plana non addam. Jam si « misericordia et veritate redimitur, » et, ut Hebraei habent, *expiatur*, iniquitas: ergo per eorum opera satisfaciunt pro pena peccato quoad culpam remisso, adhuc reliqua et debita, ait Bellarminus, lib. *IV De Peccat.* cap. *viii*. Nam non minus ad iustitiam pertinet redemptio quam satisfactio. Et si absurdum esset dicere nostris operibus satisfieri pro peccatis, multo esset absurdum dicere nostris operibus redimi peccata: sicut etiam ipsi haeretici gravius ferunt, si dici velimus aliqua ex parte redemptores quam satisfactores.

7. CUM PLACERINT DOMINO VIE HOMINIS, INIMICOS

QUOQUE EIUS CONVERTET AD PACEM. — Hebraice, *in volendo Dominum vias viri, etiam inimicos eius pacificabit cum illo*; Vatablus, *hostes quoque ejus conciliat ei*; Chaldaeus, *pacificos reddet ei*; Syrus vero, *in voluntate Domini sunt viae hominis; etiam ejus inimico pacem retrahet*. Hebraicum enim *וְיָסוּלְמוּ* *soulam* et retribuere et pacificare significat. Septuaginta (qui hic possim multas sententias transcribere, imo diversas addunt) cap. *praeced. vers. 27*, sic habent, *accepta apud Dominum via hominum iustorum; per ipsos autem et inimici fiunt amici*.

Primo, Baynus sic exponit: Inimicitias et odia inter sese exorant homines, quod Dei non querant amorem, q. d. Fieri non potest ut fideles inter sese sint amici, qui Deum *Ad* oportet non amant. Sin Deum amamus, inter nos amicitia facile coibit. Charitas enim qua amamus Deum extendit se ad proximum: facit enim ut propter Deum amemus et proximum quasi Deo imagiinem. Igitur si in utraque dissideium parte exaltetur charitas et amor Dei, idem fietet utrosque, ut propter Deum ament sese invicem, pacemque ineanat. Sin autem una pars amet Deum, altera obstinate in odio perseveret, prior saltem querat pacem, satagetque adversam partem pacificare et sibi conciliare quoad poterit, ut sit hypallage, q. d. « Inimicos quoque ejus convertet ad pacem, » id est, justus amans Deum pacem suam et amorem convertet quoque ad inimicos, hoc est, diligit inimicos propter Deum, satagetque eos sibi pacificare, ut pacem cum eis ineat et colat. Quocirca Demosthenes homines justos, aequos et placidos vocabat *conjugum civitatis*, quia sicut conjugum stringit et unit lac ex se liquidum et fluidum, sic justus omnium tam amicorum quam inimicorum animos pace et concordia stringeret atque tam sibi quam inter se unire studet.

Secundo, simpliciter et germanius, q. d. Cum quis studet per omnia placere Deo, fit saepe ut Deus vicissim inimicos ejus placet, et ad pacem convertat, ut cupiant ipsi placere, sicut ipse placet Deo: idque triplici de causa. *Primo* est, quod inimici videant se non posse prevalere contra eos qui Deum amant, et quos vicissim Deus amat. protegit et propugnat. *Secundo*, quod virtus et pietas ubique sint amabiles, omnesque etiam hostes rapiant in sui amorem et admirationem: quo fit ut, cum inimici vident suam adversarum virtute praeditum, sincerum, sanctum, coguntur eum amare, pacemque cum eo redintegrare. Unde Beda sic explicat: « Tanta est sanctitas, inquit, divinae religionis, ut eam perituram etiam qui foris sunt venerationi habeant; et quos perire Deo servare perspexerint, cum his pacem habent, quantumvis religione discrepantes incipiunt. *Tertio*, quod Deus in manu sua habeat corda inimicorum, ut ea ad amorem vel odium flectere possit prout vult. Cum ergo justis amicis suis optime velit, flectit corda inimicorum, ut eum amicis suis pacem cupiant et colant. Denique Deus est con-

trum amoris et amicitiae: quare sicut in centro coeunt et uniantur omnes lineae circulum in duas aequales partes seceant, sic in Deo uniantur omnes amici aequae ac inimici: sicut enim centrum in se unit omnes lineas, licet sibi adversas, sic Deus amicit et conglutinat homines quoslibet, etiam sibi invicem inimicos. Dico saepe id fieri, non semper: nam videmus justos saepe ab inimicis continuas persecutiones pati, uti passi sunt fideles et Martyres primis trecentis Ecclesiae annis a Nerone usque ad Constantinum.

Exemplum hujus sententiae clarum est in Salomone, cui Deus omnes vicinos reges et populos, etiam hostiles, vix subiecit, vel federe sociavit: unde ipse vocatus est *Salomon*, id est pacificus: quia plenam cum omnibus tam inimicis quam amicis pacem habuit, *III Reg. x, 23*. Rursum patet istud in Davide, cui Saul aliquoties reconciliatus est, Deo cor illius ob merita Davidis commovente. In Tobia item, qui, quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi gratiam Deus in conspectu Salmanassar regis, ut patet *Tobia I*. Patet idem in Assuero, coram quo Esther et Mardocheus, et per eos populus Judaicus, inventi gratiam. In Joseph item, Daniele et in tribus peris. Item in Alexandro Magno et Jaddo sacerdote, cujus historiam videre est apud Josephum, lib. *XI De Antig. Judaeic.* cap. ult. Sed omnium maxime in populo Christiano, cujus inimicos reges et principes post multas persecutiones Deus tandem pacificavit cum eo, ita ut non tantum a persecutione cessaverint, sed etiam iugo fidei sese submiserint.

Docet ergo hac gnome, *primo* et ante omnia, fidei querendum esse amorem et cultum Dei, ut ei per omnia placeat, etiamsi propterea hominibus displiceat, dicatque cum Apostolo: « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem, » tum quia placere Deo longe melius est quam placere hominibus, ac displicere Deo longe deterius et perniciosius est quam displicere hominibus; tum quia Deus facile potest, et saepe solet amicis suis inimicos convertere ad pacem, uti gens Christo et Apostolis inimica convertit ad pacem, fidem et obedientiam. Ac parentes qui initio obstant filii Religionem ingredientibus, saepe convertit ut visa deinde filiorum pietate, profectu et fructu, eosdem praeter ceteris liberis amant.

Docet *secundo*, efficax et optimum medium ad conciliandos hostes esse, si prius nobis conciliemus Deum: Deus enim in manu sua habet corda hostium; quare si ejus benevolentiam nobis conciliemus, facile ipse hostes nobis conciliabit, praesertim si id instanter ab eo flagitemus: Deus enim facit voluntatem timentium se, et obedientibus sibi quasi obedit, caeteraque omnia, quin et hostes ipsos, facit obedire. Adde Deum in lege veteri peculiariter promississe Judaeis, si legi suae obedirent, victoriam de inimicis et pacem stabili-

lem, *Exod. cap. xxiii, 27*, et *Levit. xxvi, 6* et seq.

Huc spectat axioma R. Simeon in *Pirke Avot*, id est in *Aproph. Patrurn*, cap. *II*: « Ita voluntati Dei morem gere sicut tuae, imo relicta voluntate tua, illius arbitrio te submitte; sic enim et alios protinus ius facies desideris et voluntatibus inservire. » Deus enim, in cuius manu sunt omnium voluntates, eas flectet, tibi que faciet obedientes.

Mystice, q. d. Si per obedientiam subieceris te plane Deo, ejusque legi et voluntati, ut ei per omnia placeas, fiet ut sensus quoque tui, appetitus, omnesque vires animae et corporis, ac praesertim cogitationes et tentationes, subdant se menti et voluntati tuae, ut eas facile supprimas, compescas, eisque dominaris, uti dominatus est eis Adam in paradiso, quando in obediit Deo: at ubi Deo rebellavit, mox rebellem sensit carnem et concupiscentiam. Haec est enim juxta lex talionis, ut si te subdas tuo superiori, subdantur tibi pariter inferiores tui: sin superiori rebelles, sentias pariter rebelles subditos tuos. Unde S. Augustinus, lib. *I De Nuptiis et Concupis.* cap. *vi*: « Injustum enim erit, ait, ut obtemperaretur a servo suo, id est a corpore suo, et qui non obtemperaverat domino suo. » Et lib. *II Contra duas epist. Pelag.* cap. *xxi*: « Faciebat quippe hoc ordo iustitiae, ut quia eorum anima famulum corpus Domini non acceperat, sicut ipsa eidem domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vite illi congruum sine ulla resistenda famulatum. » Et mox: « Nondum quippe anima rationalis dominae carnis, inobediens existeret domino suo, ut pena reciproca inobedientem experiret carnem famulum suam cum sensu quodam confusionis et molestiae suae. » Et lib. *XIV De Civit.* cap. *xv*: « In illius peccati poena, quid inobedientiae nisi inobedientia retributa est? Nam quae hominis est alia miseria, nisi adversus eum ipsum inobedientia ejus ipsius, ut quoniam voluit quod potuit, quod non potest velit? » Imo Deus magnis Sanctis et amicis suis subiecit summos inimicos, tum suos quam nostros, puta demones, juxta illud Christi ad discipulos: « Ecce dedit vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocerit, » *Luce. x, 19*. Sic S. Antonius, S. Hilarius, S. Macarius, S. Franciscus dominabantur demontibus, eosque ab engurgentiis expellebant, sibi que subdebant.

8. MELIUS EST PARUM CUM JUSTITIA, QUAM MULTI FRUCTUS CUM INIQUITATE. — Hebraice, *quam multi proventus absque iudicio*. Sed *iudicium* Hebraeis saepe significat aequitatem: unde Noster secutus Septuaginta recte vertit, *cum iniquitate*. Sic enim habent Septuaginta, et ex his S. Hieronymus in cap. *IV Eccl.* legit: « Melior est acceptio parva cum iustitia, quam multa genimina cum iniquitate, » Pro *acceptio graece est ἀρετή*, id est captura, occupatio, possessio.

Primo, Baynus per iustitiam accipit elemosy-

Animam
obediens
Deo, obediens
potestati
superiori

nam, q. d. Melius est modicum « cum iustitia, » id est cum pijs opibus et elemosynis, quam multitudine fructuum *absque iudicio*, hoc est inique et ex rapina collectorum. Non enim proderunt divitiae in die ire, nisi ex illis fiat iustitia, id est opera misericordiae, quibus iniquitas redimitur, uti dixit vers. 6.

Secundo, simplicius et plenius, *iustitiam* generatim accipias pro complexione virtutum, q. d. Salius est habere parvos fructus et opes cum virtute et sanctitate, quam multos cum iniquitate; quod dupliciter exponas: primo, q. d. Salius est parvas opes ex labore iusto colligere, quam multas ex injusto, v. g. per usuras, fraudes et illicitos contractus. Unde Vatablus vertit, *pusillum quod cum iustitia possidet, vnaerat proventibus immensis inique parvis*. Secundo, q. d. Salius est modicum cum iusta vita, quam multum cum injusta et iniqua. Causa est prima, quod iustitia et sanctitas melius sit bonum quam omnes opes mundi: sanctitas enim est bonum caeleste et divinum, adeoque ipsa est summa participatio Dei et divinitatis. Secundo, quod qui modicum possidet cum iustitia, gaudet animi pace, tranquillitate, letitia, que omnibus mundi bonis antecellit, iuxta illud *Eccle. iv, 6*: « Melior est pusillus cum re, quae quam plena utraque manus cum labore et afflictione animi. » Cuius Hieronymus: « Eleganter, ait, iustitia requiem habet, iniquitas laborem. »

Modica
sunt
iustitia
cur?

Causa
Prima.

Ex adverso, qui multa possidet injuste et inique, perpessus agitur conscientiae remorsibus et angoribus, item forensibus litibus et molestiis, quae omnem opum voluptatem exhauriant et absorbent. Tertia, quod Deus efficiat ut iustus ex modico commodus, felixque et saepe lautius vivat quam iniquus ex multo, iuxta illud cap. preced. vers. 16: « Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. » Vide ibi dicta. Et illud *Psal. xxxvi, 16*: « Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas, » quo alludit hic Salomon. « Melius ergo est parum cum iustitia; » melius, id est felicius, quietius, letius, ditius, copiosius, uberius est. Hoc est quod ait Christus, *Math. vi, 33*: « Querite primum regnum Dei, et iustitiam eius; et haec omnia adjicientur vobis. » Ubi S. Chrysostomus notat Deum vetuisse nimiam curam temporarium, ut certius eadem a Deo Deique providentia obtineamus: nimia enim sollicitudo nos iis facit indignos; spes vero in Dei providentia reposita efficit dignos. « Inbeo, ait, ista non queri et non curari, non quidem ne accipias, sed ut abundantius accipias. Nam sollicitudine afflictus, et curarum morsibus saepe discerpitur. hisce bonis te facis indignum. »

Mystice Deda. « Bati, ait Dominus, pauperes, quia vestrum est regnum caelorum. » Et iterum: « Ve vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. Potest et sic accipi: Quia melius sit in simplici conversatione Deo devote servire, quam multis abundare virtutibus, verbi gratia, elemo-

synis, orationibus, jejuniis, doctrina, castitate, ac proximorum facta despiciere, et de sua quasi sublimitate gloriari. »

9. COR HOMINIS DISPONIT VIAM SUAM: SED DOMINUS EST DIRIGERE GRESSUS EIUS. — Hebraice, *cor hominis cogitabit viam suam, et Dominus diriget vel firmabit gressum ejus*. Pro dirigit alii verunt, *liberabit*, sed minus recte: ni enim tale significat liberarum יָצִיחַ *iacit*. Unde Septuaginta, *cor viri cogitat iusta ut a Deo dirigantur gressus ejus*; S. Cyprianus, tract. *De Zelo*, sub finem, *ex a Deo diriguntur gressus ejus*. Sed quae et qualia iusta cogitabit iustus, ut disponat viam suam? Audi ea tradentem S. Cyprianum ibid.: « Habes, ait, multa quae cogites, paradisum cogita, quo Cain non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita caeleste regnum, ad quod non nisi concordēs atque unanimes Dominum admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possunt vocari, qui sint pacifici, qui navitate caelesti et lege divina ad similitudinem Dei Patris et Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis nos Deo stare, spectante ac iudicante ipso, conversationis ac vite nostrae curricula decurrere; pervenire nos tunc demum posse, ut eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia ejus et indulgentia prebentis, si placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus. »

Sensus Vulgatae lectionis est, q. d. Homo cura generali Dei concursu cogitat et disponit opera naturalia, cum concursu vero ejusdem supernaturalia cogitat et disponit opera virtutum supernaturalia, quae illi agenda incumbunt: at vero neuter concursus Dei sufficit, ut id quod cogitavit homo opere exsequatur, sed ad hoc opus est nova et singulari Dei gratia, quae difficultates omnes in exsultatione occurrentes submoveat, vel complanet, vel superet. Significatur ergo hic quod concursus et gratia subsequens major sit, magisque necessaria quam preveniens, iuxta illud Apostoli: « Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate. » *Philip. ii*.

Secundo, Tigurina vertit, *cor hominis deliberat de via sua*; Vatablus, *diligenter excogitat viam suam*, q. d. Hominis officium est diligenter, prudenter et sollicitè praemeditari, quid ei agere conveniat, illudque Deo commendare: quo si id, ut par est, fecerit eo modo, quem paulo ante exposui, sane Deus diriget, id est rite disponet, ac fortunabit et prosperabit actiones ejus: scilicet efficiet primo, ut ille recte, prudentes et sanctae sint; secundo, ut felicem sortiantur effectum. Simile est quod de lingua dixit, vers. 1: « Hominis est animam praeparare, et Domini gubernare linguam. » Hinc alii, qui Theologi sic exponunt, q. d. Constituit in gratia Dei potest per liberum arbitrium gratia imbutum proponere, Deum nunquam lethaler, imo nec venialiter deliberat, offendere, casitatem servare, tentationes omnes superare; sed Dominum est dirigere gressus ejus, hoc est, sed id sine novo

et quotidiano Deo auxilio; postremo, competere. Simile est in lingua: iustus enim proponit Deum nunquam verbo otioso aut noxio offendere; sed indiget peculiari Dei auxilio, ut id reipsa praestet, ut sollicit non labatur in lingua, Deumque illo sermone offendat. Significatur ergo Salomon gubernationem linguam et gressuum directionem propositum cordis esse a solo Deo, quia solus Dei est auferre omnia interna et externa impedimenta, quae gubernationem linguam et directionem gressuum impedire solent. Haec ergo optinere iure dicitur gratia subsequens, qua homo opere ipso confirmatur, et perficitur in bono proposito, et ablati impellimentis in eo usque ad opus consummatum perseverat. Ita ex S. Augustino Gabriel Vasquez, III, tom. II, dist. 183, num. 30. Quocirca contra Pelagianos orare fideles docet Concilium Arausicanum, can. 2: « Largire, ait, supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quae recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. » Et Ecclesia in Secreta pro iter agentibus orat: « Et viam illorum praecedente gratia tua dirigas, et subsequente comitari digneris. » Et S. Hieronymus, dialog. 3 *Contra Pelagianos*: « Jam, ait, in Domini potestate est ut id quod cupimus, quod laboramus, quod nitimur, illius ope et auxilio implere valeamus. » Probat id ipsum exemplo regis Assueri, qui variis cogitationibus distractus post epulas, quando somnus facilis obrepere solet, dormire tamen non potuit, ita disponente Deo propter redemptionem populi sui. Ubi novam agnoscat, quoties opere exsequimur id quod desideramus, aut periculis imminentibus libera-

Gratia
ante-
gressus
major
autoco-
desit.

mur.

10. DIVINATIO IN LABIIS REGIS, IN JUDICIO NON ERABIT OS EIUS. — Pro erabit hebraice est יָצִיחַ *final*, id est, ut vertit Aquila et Theodotus, *non praevaricabitur os ejus*; Chaldaeus, *non mentietur*; Symmachus, *non faciet injuriam*. Primo, alii haec exponunt imperativo, q. d. Labia regis sint veracita, ita ut in iudicio non errent, nec illud in gratiam enjusianam pervertant; sed responsa sententiae ejus ita sint vera et certa, ut videantur esse oracula, ac rex ipse ita sit verax et fidelis neminem fallendo, omnibusque fidem datam praestando, ut videatur ipse esse fatidicus et fata decernens, inquit Aben-Ezra, Isidorus Clarius, et alii. Unde Vatablus sic vertit et explicat, *velut divinato est super labia regis, id est divina quaedam loqui debet*. Et Lyranus: Divinatio, inquit, id est divinarum rerum lectio, est in oculis et labiis regis. Hoc etymon divinationis ridiculum et alienum est. Res tamen olim fuit vera; sine enim de rege sancit Deus, *Deut. cap. xvii, vers. 18*: « Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, etc. Legetque illud omnibus diebus vite suae, ut discat timere Dominum. »

Secundo, alii priorem partem accipiunt assertive, posteriorem imperativo. Unde Tigurina vertit, *ora-*

cula sunt quae de labiis regis procedunt dum pronuntiat; ne ergo praevarietur os ejus.

Tertio, Vatablus rursus sic exponit, q. d. Quando propheta est in labiis regis, tunc in iudicio non solet mentiri os ejus.

Quarto, melius alii passim utramque partem accipiunt assertive et absolute: hoc enim exitus versio Vulgatae, Septuaginta, Hebraea, Chaldea, et caeteri Interpretes. Ver. 7, quia ratione id verum est? Scimus enim Aclab, Jeroboam, Manassem aliosque reges impios erroneos et impios dictasse sententias. Respondet: Salomon loquitur non de Tyrannis, nec de regibus infidelibus et impiis, quales fuerat jam recensiti, sed de regibus fidelibus, piis, probis et iustis, qui aequae et sapienter regio munere funguntur, et regnum digno administrant, uti veros reges docet, qui probe regis officium exercent, omnesque regiae obligationis numeros explet. Hi enim sunt vicarii Dei, et valuti dii quidam terrestres, iuxta illud: « Ego dixi: Dii estis, et filii Excoelsum, » *Psal. lxxvi, 6*. Quibus proinde Deus peculiariter ope assistit et cooperatur, ut subditos iuste et sapienter regant juxta leges sanciendo et veris, sententias lites dirimendo. Sensus ergo est, q. d. Edicta, placita et sententiae iusti probique regis accipienda sunt ut oracula Dei, cujus loco praestet populo, quique ei in Deum et iustitiam intentio et deflexo, velut vicario suo assistit, ne in mandando vel iudicando erret. Si enim rex edicta et sententias ferat juxta leges et iura, ac si sapientes consiliarios in consilium adhibeat, eorumque iudicium sequatur, utique non errabit, quia semper et ubique conformabit se dictaminis legum et sapientum; hoc autem dictamen est prudens, et praetere verum certumque. Porro haec sententia maxime locum habet in rebus et sententiis obscuris, dubiis et perplexis, sive eas sint facti, sive juris: quaedam enim juris decreta adeo obscura sunt, ut videantur esse enigmata, quae quasi divinando resolvere et interpretari debet rex vel imperator. In iis ergo si rex sapientum consilio utatur, Deumque invocet, utique is eum dirigat, ut veram iustaque sententiam proferat: uti assistit Salomoni in iudicio metetricum, qui infantem vivum vere matris assignavit, eo quod solerter in illa viscera amoris materni perspicere, *II Reg. iii, 26*. Tunc enim sententia regis quaedam divinationis speciem habet. Unde a priore Romani iudicium rei obscurae et incertae, v. g. nra accusatorum esset deligendum, vocabant divinationem. Causam dat Gellius, lib. II, cap. iv: « Divinatio, inquit, iudicium appellatur, quoniam divinare quodam modo iudicem oportet, quam sententiam esse ferre ea sit, etc., quod in aliis quidem causis iudex per se quae dicit, quaeque argumentis vel testibus demonstrata sunt, sequi solet: in hac autem re cum deligendus accusator est, parva, admodum et exilia sunt, quibus moveri iudex possit, et propterea quinam magis ad accusandum